Scorbutus & Chlorosis oriuntur à Torpore Spirituum Animalium.

BArbara jam cedant Libycæ Miracula terræ,
Monstráque colluvie Nile reperta tuâ.
His magis obscœnum dedit oris Belgia Monstrum:
Progenies Matrem quam benè fassa suam!
Nempe Palude ; ues orta est, & vivit aquoso,
Ut Ranæ & Belgæ, quo fuit orta, Luto.
Nos etiam affines crassóque sub aëre natos
Vexat idem nimiâ proximitate malum.
Huc importatur *Batava*, atque huc *Gallica* pestis
Provenit hinc nimium frigus, & indè calor.
Nos etiam nimiâ tardamus Carne vigorem
Spirituum; útque bibit *Belgicus*, *Anglus* edit:
Contrà sorte suâ dicatur *Gallia* fœlix,
Unde alat *Angliacum*, non habet illa, malum.
Chlorosin *Roma*, & Scorbutum *Gallia* nescit;
Cum vix illa habeat Virginem, & illa Bovem.
Intereà pestis Veneres ferit invida Nostras
Vulnerat atque ipsas, cum *Diomede*, Deas.
En! virgo os pallens, cava lumina, torpida membra,
Et præter rugas, omnia Matris habens;
Sordibus immundis dum squallida polluit ora,
Deformi fit idem, cœni & imago, lutum.
Jam sibi vix notos speculo videt horrida vultus,
Et palloris adest, altera causa, dolor.
Talem languenti *Daphne* dedit ore colorem,
Et quoniam Conjux non erat, Arbor erat:
Proh pudor! ægra ipso languet sub *Apolline* Virgo,
Et Medici & Mœchi nil valet Ars & Amor.
Sit licet obstructus pigris humoribus ardor,
Quanta sub his, nescis, flamma tegatur aquis:
Nam simul ut Conjux sopitos suscitet ignes,
Emicat illa, undis ut *Venus* orta suis.
Ut tibi, *Pygmalion*, nova friget Eburnea virgo,
Et tua qualis erat, talis Imago jacet:
Sit Conjux illi Medicus; modo dulcia labris
Imprimat hic niveis oscula; vivet Ebur.
Non animas tali inspirat *Prometheus* arte,
Hic ignem admovit Solis, at ille suum.
Cum diverso igitur latet idem nomine morbus,
Et languet causâ sexus uterque pari;
Quos mala junxerunt, propiùs Connubia jungant,
Sub tanto ignavis non licet esse jugo
Sic hæc Scorbuto, Chlorosique ille medetur,
Et Vir sanatur Virgine, Virgo Viro.

Medicamenta specifica non agunt ratione aut Qualitatum Evidentium, aut Principiorum Chymicorum.

FUmosos, Chymici, vultus oculósque sagaces
Tollite. Quis teneat risus? ut tempora circum
Tarda stupor ludit, languórque in fronte triumphat!
Ut sese ore ferunt! Tamen hi, proh *Juppiter*, hi sunt
Queis solis Natura suos aperire recessus
Dignata est, rerúmque dedit cognoscere causas;
Sic de se jactant: sed non ità credimus ipsis.
Cum torret febris crepitantes fervida fibras,
Viscera pascit edax ignis, & corpore toto
It sudor piceus, sanguísque ebullit, ut Ætna
Ignivomo ardentes quando ejicit ore favillas.
Quam cito lethales flammas, incendia sæva
Extinguit superâtque stupendi Corticis haustus.
Dicite Philosophi, Magico quæ in cortice vires?
Cortex intenso hæc operatur frigore? si sic
Cur flamma infusis ardet violentior undis?
An Calor effectum producit & ignibus ignes
Extinguit? si sic, num nil Natura creavit
Tam calidum, effectus nec habet calor omnis eosdem?
Nescitis, cur ergo pudet nescire fateri?
Specifico occultas, latitare agnoscite vires:
Tam cito, tam certo, reparatæ causa salutis.
Et Quis in exiguâ vestigia Numinis Herbâ
Non videt, & digitos operantis cernit in illâ?
Quis sine Te, venerande Deus, quis crederet herbam
Frigore quæ nimio, nimióve calore perusta
Languescit moriens, viridésque amittit honores,
Vel vitam dare posse viris, vel tollere posse?
At quæ inter Chymicos video bella, horrida bella?
Stant directæ acies: hinc *Alkali* signa porosa
Vibrat, & indè hastas Acidum protendit acutas.
Tanta per Idæos sævis effusa *Mycenis*
Tempestas non ivit agros, non tanta ciebat
Agmina *Tyndaridis* facies formosa *Lacenæ*.
Jamque faces & saxa volant; nunc *Alkali* vincit,
Nunc Acidum, dubiísque volat victoria pennis.
Non has Relligio, non Patria charior illâ
Commovit lites, tantos Elementa tumultus
Attollunt, dum quisque suo stat sanguine certus
Aut stabilire sua, aut certæ succumbere morti.
Egregiam vero laudem meruistis, honores
Egregios Chymici, magnum & memorabile nomen,
Qui veterum subvertistis fundamina, at Ipsi
Condere non nova, non eadem reparare potestis!

Jul. 4. 1698. *In vesp. Comit. Resp.* Car. Morley, *ad gradum M. D.* Coll. Trin.